Et Prior subjungat : Orémus.

DEUS, qui pro nobis Fílium tuum Crucis patíbulum subíre voluísti, ut inimíci a nobis expélleres potestátem ☩ concéde nobis fámulis tuis, ut resurrectiónis grátiam consequámur : Per eúmdem Christum Dóminum nostrum.

Et responso Amen., Cantores incipiant Antiphonam Regína cæli., et Fratres, ipsam prosequendo, revertantur in Chorum eo ordine quo venerunt. Et Ministris ordinantibus se ante gradus Presbyterii modo prædicto, Prior stet ad pulpitum in quo prima Oratio dicta fuit.

Qui dicunt Versiculos, eo modo quo supra dicant :

℣. Ora pro nobis sancta Dei Génitrix, allelúia. ☩ ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi, allelúia ☩